



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Nomenclator Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium Qvi  
Ab Anno Christi Millesimo quippiam commentati sunt, Sev  
Ab Eo Tempore quo Pontificis electione ad eos tantum ob  
Romani cleri multitudinem ...**

**La Rocheposay, Henri-Louis Chasteigner de  
Tolosae, 1614**

A Pavlo IIII. Creati.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10735**

Roberto Nobili Politiano S.R.E. Diacono Cardinali qui 13. annos natus ob egregiam virtutis indolem à Iulio 3. Pont. Maximo eius magno auunculo, patribus uniuersis approbantibus in amplissimum Collegium cooptatus, ardentissimo cum esset religionis & literarum studio, semestri tæbe sum. m. patientiâ confectus, dum se iucundissimam mortem sentire affirmaret, suosque extremo spiritu, mirificè consolaretur, in caelestem vitam quam assidue meditabatur commigravit 16. kal. Februarij 1559. Vixit annos 17. menses 4. dies 12. horas 16. Vincentius Pater filio optimo ac dulcissimo posuit.

---

A PAVLO IIII. CREATI.

IOANNES MARTINVS Siliceus Hispanus, ex Archiepiscopo Toletano Cardinalis Philippi 2. Hispaniarum Regis præceptor, scripsit

Arithmeticam Theoricam & practicam Lutetiæ editam.

De nomine IESV librum.

In orationem Dominicam & Salutationem Angelicam. Obiit anno Christi 1577. ætatis 80.

IOANNES GROPERVSEX Susato Vvestphaliæ oppido Cardinalis, recusatis Cardinalitiæ dignitatis vltro delatæ insignibus, intra priorem paupertatem subsistere maluit, eamque oblatæ claritudini præposuit, scripsit

Institutionem Catholicam.

Isagogen ad pleniorum cognitionem religionis Catholicæ.

De veritate corporis & sanguinis Christi in Eucharistiæ sacramento, eius adoratione, circungestatione, & in vsum infirmorum conseruatione, & communionem laicam sub altera specie.

Liturgicas preces & alias eius institutioni adiunctas.

Orationemque in die Epiphaniæ habitam ad Patres Concilii Tridentini, Romæ iacet in Ecclesiâ S. Mariæ de animâ cum hoc Epitaphio.

*D.O.M. Ioanni Groperio Religionis, fideique Catholicæ propugnatori acerrimo, post incredibiles labores summis cum periculis pro Ecclesiâ ac Religionis conseruatione, magno semper ac inuicto animo exantlatos, multâque præclara literarum monumenta edita, ob perpetuam fidei, pietatisque constantiam, incomparabilem doctrinam, summasque virtutes absenti, nec quidquam minus cogitanti, in sacrum S.R.E. Cardinalium Collegiû cooptato præmaturâ adhuc morte, & quando sui opera imprimis desiderabatur, ex humanis erepto, fratri piissimo atque optimè merito Godifredus ac Gaspar Groperii fratres & alumni mæstissimè posuere. Vixit an. 57. dies 18. Obiit 7. Idus Martij. 1558.*

*CLEMENS OLERA, ex Oppido Monelia Genuensis diæcesis, ord. Minorum Cardinalis publicus diuersarum Academiarum professor, calamo exarauit*

*Institutionum Catholicarum Compendium.*

*De peccatis & eorum differentiis.*

*De Sacerdotum cœlibatu.*

*De decem præceptis Decalogi,*

*Et alia quædam. Romæ iacet in æde S. Mariæ de Ara cæli cum hoc Epitaphio.*

*D.O.M. Clementi Moniliano Cardinali Aræali summæ doctrinæ & religionis viro, prudentiæ documento per omnes honorum gradus, ad summam in ordine Fratrum Minorum obseruantia dignitatem elato, à Paulo 4. Cardinali creato, liberalitatem quam semper viuens exercuerat moriens comprobauit. Pauperes incurabiles Hospitalis S. Iacobi ex testamento heredes, beneficij accepti ergo B. M. P. Vixit annos 66. menses 6. dies 16.*

Obiit 8. Idus Ianuarij 1568.

VITELLOTIVS VITELLIVS Tiphernas,  
Cardinalis vtriusque Iuris doctor sublimis & Antiqui-  
tatum Ecclesiasticarum peruestigator solertissimus, su-  
perioris sæculi commentariis replicatis,

Pontificum & Cardinalium historiam leui ductu  
seriatim adumbravit, quam morte præreptus  
pertexere non potuit.

Operaque Ioannis de Turrecremata emendata  
Pio 4. Pontifici maximo, præfixâ dedicatoriâ  
Epistolâ, nuncupavit. Romæ ante diem ex-  
tinctus est, anno Christi 1568. ætatis 37. iacet-  
que in Ecclesia S. Mariæ in via lata.

---

*A PIO III. CREATI*  
*cuius oratio frequentissimo Cardinalium confessis*  
*de Concilii Tridentini decretis confirman-*  
*dis, habita anno 1564. Romæ*  
*edita est.*

S. CAROLVS BORROMEVS Mediolanensis Pij  
4. ex sorore nepos Cardinalis, cuius vitam edita miracula  
mirum in modum insigniuere, Franciscum Alciatum  
postea Cardinalem Iuriconsultum celeberrimum præ-  
ceptorem habuit, scripsitque

Constitutiones & Decreta 6. Synodorum Prouin-  
cialium.

Orationes in eisdem conuocandis habitas.

Acta Ecclesiæ Mediolanensis, Federici Cardinalis  
Borromei eius nepotis iussu edita anno 1529.